

tum est. Ex. gr. *Festuca rubra*  $\beta$ . *arenaria*; *Viola canina*, var. *arenaria*; *Salix fusca*, var. *arenaria*; *Arabis Thaliana*  $\beta$ . *hispida*, s. *Sisymbrium arenosum* L. etc.

Itaque, cum *Cerastium alpinum* undique villosum fieri videmus in siccissimis montium fissuris; contra vero glabrescere juxta aquam, idque adeo paullatim ac successive, ut nulli dentur limites: non opus est dubitare de specifica eorum identitate. Neque aliam subesse causam hujus differentiae, quam diversitatem locorum putamus.

Pari modo multa alia exstitisse nova *Cerastia*, *Hieracia*, *Potentillas*, *Myosotides*, *Salices* opinor, quae omnia diversis nascuntur locis: neque ideo species novae existimandae, propterea quod individua quaedam speciem loci praeseferunt. Quasi Species esset in loco, quod idem est, ac si locus faceret speciem, ut, mutatis locis, mutaretur etiam species in alienam speciem. Quo magis loca natalia eorumque natura ac efficacia in mutandis plantarum formis, diligenter inquerenda; ne quid capiat detrimenti scientia, neque novarum rerum indulgendo cupiditate, neque temere detrahendo naturae, quod ipsa suo jure salvum atque integrum esse voluit.